5

DE EPITHELIOMATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE IV. M. APRIL. A. MDCCCLIII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JACOBUS ANTONIUS VAJEN
RIGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT
O. BOYE, MED. ET CHIR. DR. MED. PRACT.
O. HILLE, MED. ET CHIR. CAND.

HALIS SAXONUM
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

Tumor, cujus hoc loco indolem exponere in animo est, secundum naturam jam pridem veteribus pathologiae auctoribus notus erat, nec tamen in singulis symptomatis prius explicari poterat, quam hac de re anatomia pathologica certiora argumenta suppeditaret. Frequentes de pathologicis formationibus epithelialibus descriptiones maximam partem ad verum epithelioma pertinent, quod cum singularibus ac propriis suis notis proponendum est. At recentior aetas, quo ex tempore artis microscopicae ope illa accuratius cognoscere coeperunt, illas omnes uni ordini tumorum subjungendas esse docuit.

Quae res eo optabilior fuit, quod nimis saepe, a quibusdam scriptoribus ad nostram etiam memoriam, illud tumorum genus in numero variarum carcinomatis formarum referebatur, cum illi per se non eam indolem malignam prae se ferrent quam carcinoma, ideoque pathologo praesertim ejusmodi natura sufficere non posset. Quippe constitutis demum pathologico-anatomicis epitheliomatis partibus potestas data est decursum et exitum hujus localis morbi interpretandi, qui in certis stadiis maxime miras carcinomatis genuini proprietates praebere videtur, ab eo tamen et anamnesi et vi, quam in corporis constitutionem exercet, vehementer discrepat. Hac autem in re posita erat difficultas hunc morbum perspiciendi, cum omissa opinione e crasium regione repetita (videlicet semel tantum carcinoma epitheliale in orga-

nis parenchymatosis, et in jecore quidem, capsulatum repertum est [1])), nec respectis propriis signis locali processu decurrente apparentibus tumores epitheliales carcinomata minus maligna dicere solerent; sicuti omnibus etiam malignis tumoribus ulceribusque talem indolem et exitum assignabant. Quod vero maximum fuit ad constituendum carcinoma, cellulam carcinomatis ejusque metamorphoses non repererunt. Verumtamen endogenica cellularum formatio et sententia, quam doctissimus Virchow de carcinomatis natura explanavit, illi opinioni suffragari videbantur, nec tamen reapse usu experto utilitati erant. [2]) Ceterum usus ad carcinoma constituendum singulari structura heterogenica fibrosa et celeri earum formationum in stadio emollitionis interitu stabilem certamque basin adeptus est, ut a ceteris omnibus neoplasmatis heterogenicis, multo magis ab homogenicis, quibus epithelioma a doctissimo Lebert et plerisque aliis auctoritatibus accensetur, recte distingui queat. Ex hisce rebus facilius erit commodam criticam et formam epitheliomatis eruere.

Epithelioma in epithelio plano cutis et membranae mucosae sedem collocavit; ex iisdem partibus elementaribus constat, ita ut ejus partes singulari modo dispositae sint. Quantum hac de re singuli scriptores inter se consenserint, literarum monumenta demonstraverint; etiamsi ad hoc usque tempus opinio carcinomatosae ejus naturae rem recte intelligere prohibuit; quae res aliquatenus nomine jam significatur. Inprimis vero hoc in priorem aetatem cadit, quae

---

1) C. Rokitansky, Handbuch der allgemeinen pathologischen Anatomie. Bd. I. S. 386.

2) E. H. Henoch, C. Canstatt's specielle Pathologie und Therapie vom klinischen Standpunkte aus bearbeitet. V. (Supplement-) Bd. S. 63.

carcinoma ab hisce neoplasmatis epithelialibus nullo modo discerni patiebatur. Iam vero non omittendum est, magnam esse carcinomatis cum epitheliomate propinquitatem, propterea quod utrumque simul et in eodem loco consistit. Nec tamen explicari potest unde hoc accidat, neque id crasin jam praesentem, neque epitheliomate effectam significat. Carcinomatis cellulae et stratum non modo in normalibus, sed etiam in anomalis telis reperiuntur; possunt igitur, ut semper, sic etiam praesente epitheliomate secundaria et localia apparere. [1]) Hinc quispiam explicaverit, quare etiam epithelioma formam transitus carcinomatis esse voluerint; ita fuerunt qui propinquam ejus cognationem cum carcinomate medullari [2]), alii qui cum carcinomate scirrhoso et reticulari, atque illud tamquam ejus varietatem describerent.

Porro notandum est epitheliomate saepe malum ulcus gigni et carcinomatosum habitum ejus multis auctoribus tum quoque nasci posse. Ita nomine cancroidum tumores significati sunt epitheliomati prorsus pares, vel ulcera, quae ex aliqua causa, sive externo irritamento, sive aliquo contagio, sive habitu constitutionali malam naturam accipiunt. Nec tamen semper etiam hic carcinoma genuinum suppetit, sed mera plasmata epidermoidalia vel ulcera, quae malignis, ut dicuntur, destruentibus, phagedaenicis accensenda sunt [3]).

Vera igitur cognitio epitheliomatis non solum fieri potest, verum etiam medico et aegroto gravissima

---

1) J. Vogel, pathologische Anatomie des menschlichen Körpers. Abth. I. S. 231.

2) C. Rokitansky, Handbuch der allgemeinen pathologischen Anatomie. Bd. I. S. 385.

3) Prof. Dr. E. Blasius, Beiträge zur praktischen Chirurgie. Berlin 1848. S. 41. Anmerk.

est; praeterea illud a carcinomate ejusque malignitate et insanabilitate, deinde a bonis tumoribus, veluti condylomatis acuminatis, verrucis, cornibus cutaneis; item ab elephantiasi, tuberculosis depositione, ichthyosi similibusque morbis ex propria anatomica structura et decursu distingui necesse est.

SYMPTOMATOLOGIA.

Sedes epitheliomatis in formatione epitheliali epidermidis et membranae mucosae est posita, ibi plerumque, ubi epithelium planum reperitur. Itaque sedes habet late diffusas, inprimis vero in facie, veluti in labro, gena etc. et in genitalibus.

Epithelioma plura decursus stadia habet longe gravissima, vel quod in diversis periodis cum variis tumoribus ulceribusque confundi queunt, vel quod symptomatis morbi vehementer differunt.

Epithelioma incipit ut exiguus tumor in reti Malpighi durus et laevis a grano miliario usque ad pisi magnitudinem. Aegrotus hoc tempore nullis molestiis vexatur, nisi quod interdum acrior pruritus et ardor exsistunt. Tumor lente ambitu et latitudine crescit, ut nonnullis demum annis praeterlapsis luculentam magnitudinem consequatur.

Procedente morbi processu epidermidis stratum superinjectum diversum colorem prae se fert, inaequalitates et rimas malae cicatrici haud dissimiles accipit, postremo dissolvitur et secretum serosum et purulentum relinquit. Nunc quoque malum localem tantum indolem retinet; nec aegroto ullae majores molestiae commoventur. Plerumque vero jam auctus tumor rapide progreditur et superficies ulcerata malam speciem induit. Superficies secernens paulo post adspectum lutulentum praebet fundo inaequali et im-

puro; tum crustis obscuris et crassis contegitur, quae depulsantur ac denuo siccantur. Eae crustae e cellulis detritis, pure male foetido, cellulis adiposis et massa moleculari constant. Hoc in stadio acerrimi nonnunquam dolores exardescunt; quae res hinc solum pendet, si ulcus sedem nervis locupletem habet. Cita vero ulceris in pravam conditionem mutatio ex postrema causa et abundantia praesentium vasorum efficitur.

Posthac multo gravior series symptomatorum exsistit. Diuturnitas profusae secretionis et dolores crebro repetiti temporis decursu vires aegroti conficiunt. Succis non aequabiliter accrescentibus et decrescentibus febris exardescit; aegrotus lectum servare coactus magis magisque adspectum cachecticum induit. Hoc stadio reperimus etiam tumorem ultra cutem in telam cellulosam subcutaneam, in musculos, in ossa suam destructionem propagare. Quamobrem succorum defectio saepenumero non tanta est propter anomalam secretionem, quanta e crebris copiosisque sanguinis effusionibus.

Quamquam supra jam generalis epitheliomatis natura ejusque symptomata adumbrata sunt, tamen mentionem fieri oportet sedem illius saepe etiam conturbationes plane proprias procreare.

Quodsi interiori genae et linguae insidet, nutritio magnopere conturbatur; inprimis vero perpetua salivae secretio viribus conservandis maxime infesta est. Aliud symptoma epithelioma praebet, si in cardia insidet, ubi jam mature acerrimam gastralgiam et digestionis molestias, veluti acorem, vomituritionem, haematemesin efficit, et organa affecta rapidius destruit. Item symptomata differunt, si in recto et in utero inest. Hic quoque vires aegroti multo vehementius affectari et constitutio multo celerius pessumdari videtur. Functionis turbae incidunt, et saepe

e diversis morbis consecutivis, veluti ex hysteria, hypochondria, molestiis haemorrhoidalibus originem ducunt. Carcinoma villosum in vesica urinaria crebro etiam formationes epitheliales videtur complecti. Eo quoque loco maximae sanguinis fusiones, urinae incontinentia, lithiasis aliaque apparent.

Deinde glandularum conditio memoranda est, quae tantum late diffuso morbo inflammantur et tumescunt; hic tamen processus consensualis, probabiliter non metastatice translata specifica materia efficitur. Glandulae tum fluida secretione repletae inveniuntur, vel intus cellulas epitheliales efficiunt vel abscedunt [1]. Hoc extremum si accidit, quia sympathia cum vicino ulcere etiam continuatur, hic quoque profusa ulceratio gignitur, qualis in superficie ulceris impuri ac dirupti locum habet. Nec vero hic virus specificum ad propagationem statuendum est; alia ratio est carcinomatis, in quo injectionibus cellularum carcinomatosarum jam depositiones effectae sunt [2]. Aliam conditionem universali pyaemiae haud dissimilem, ut e magna ulceris suppuratione explicari potest, temporis decursu incidere oportet. Hac re metastases in organa interna, longius remota gignuntur, inde nunc acris febris intermittens perniciosa concitatur; collapsus virium, sudores profusi, symptomata cerebri propinquam mortem significant.

AETIOLOGIA.

Fieri potest, ut formatio epithelialis praedispositionem ferat, quam tamen rem haudquaquam certo

1) A. Hannover, das Epithelioma, eine eigenthümliche Geschwulst, die man bisher im etc. S. 24.

2) C. Canstatt, specielle Pathologie und Therapie vom klinischen Standpunkte aus bearbeitet. Bd. I, S. 216.

constituere licet, etsi crebra recidiva eo portendere videntur. Plerumque usus docet, nullam omnino veram causam indagari posse; etenim universalis dispositio constitutionalis non animadversa est, postquam epithelioma a carcinomate distinguere didicerunt. Hos processus, ut omnino, simplicem formationis processum existimari oportet, qui a normalibus telis nihil differat [1]), et ex actu nutritionis temporaneo, cujus formationes epitheliales capaces sunt, pendeat.

Nec vero magis hereditatem afferre attinet; quae res vicissim eo vehementius cuique dyscrasicae horum tumorum naturae refragatur. Item vero arduum explicare, quomodo externa tantum causa epithelioma gignere possit; etsi hic posterior indoles mala apparere potest, et saepius occasio datur tale quid in tumoribus exulceratis, vel in diruptis ulceribus observandi; nihilo minus usus crebro docet mechanicam laesionem epitheliomatis causam fuisse. Quapropter carcinoma labrorum, quod saepe nihil aliud nisi verum epithelioma est, irritamini arundinis nicotianae attribuunt, quod hoc loco perpetuo exercetur, praesertim arundinis calceae; tonsio, pressio calceamentorum, immundities etc. similes causas occasionales praebent.

Scrophulosis et syphilis interdum epithelioma procreare dicuntur, praecipue in labris, in glande penis. Hac tamen re nulla diathesis vel habitus constitutionalis intelligenda sunt; paene etiam exploratum habemus epithelioma non esse contagiosum. In complicatione cum carcinomate diversas omnino causas statuamus oportet, magisque carcinomatis quam epitheliomatis causae respiciendae sunt.

---

1) J. Müller, Physiologie des Menschen Bd. 1. S. 148.
J. Vogel, pathologische Anatomie des menschlichen Körpers. Abth. 1. S. 148.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Certissimum diagnoseos praesidium anatomica hujus tumoris exploratio praebet, qua sola, omnibus fere notis ambiguis, potestas datur veram naturam et indolem definiendi. Ineunte malo semper fere sedes in reti Malpighi invenietur, postea tamen in corio esse poterit; in membrana mucosa epitheliale modo stratum, non tela cellularis submucosa sedem praebet.

Partes elementares sunt cellulae propriis epithelialibus omnino pares cum contento cellularum, nucleo et nucleolo. Saepe nucleus propter granulosam naturam contenti cellularum dilucide conspici nequit, ut in cellulis epithelialibus crebro fieri solet; admixta acidi acetici solutione protinus nucleus et forma cellularum melius sub adspectum oculorum cadunt. Cellulae plerumque aequales polyedricae, saepe tamen etiam prorsus inaequali forma indutae, collapsae, praesertim posterioribus stadiis, ubi contentum amittere videntur, ita ut in incisionis superficie depositae alia ad aliam, quasi striatae appareant. Cellulae quoque in diversissimis stadiis evolutionis usque ad cellulam matrem cum filiabus reperiuntur; hae tamen rarius occurrent. Istae cellulae nonnunquam longe obtusae, caudatae in alterutram partem productae sunt; nec tamen ea re omnino speciem cellularum carcinomatosarum accipiunt. Praeter haec elementa autem semper fere recens tela conjunctiva deprehenditur, quae plerumque e retibus vasalibus corporum papillarium vel rarius corii proficiscitur; tumori in incisione diversissimam speciem suppeditat, et radiorum instar diffusa cellulas in varias partes redigit, quae speciem convolutorum rotundorum, cylindricorum, saepe aequabiliter globosorum exhibent. For-

matio cellularum legitime procedit et stratis cellularum profundius sitis et blastemate gigni videtur. Ut vasorum copia augeatur, in posterioribus tantum stadiis accidit. Papillae dispelluntur, vel ramis diffunduntur, vel hypertrophicae productae inveniuntur. Nonnunquam vix dignosci queunt, inprimis vero perspicuae fiunt epidermide imposita amissa, ubi superficiem ulceris occupant, cum emollitio in singulis cavis vel alveolis jam praeparata sit. Hypertrophicae in incisione tumoris speciem e cinereo rubescentem exhibent, interjectis albidis locis, qui glomerata epithelialia repraesentant. Perpendicularis intersectio lobularem tumoris structuram interiorem praebet, id est singulos alveolos, qui sursum et deorsum communicant, nec verò omnino clausi sunt, etiamque majores lobos, qui formam tumoris uviformis efficiunt. Ulcere diutius permanente saepe majores sanguinis effusiones e singularibus rimis consequuntur, quae usque ad imum tumorem propagantur. Elementa secreti ex ulcere nati sunt cellulae epitheliales, corpuscula adiposa, guttae adiposae, malum pus, massa molecularis, crystalli cholestearini etc. Postea etiam reliquiae destructae telae cellulosae, deletorum musculorum et ossium similiaque inveniuntur. Doctissimo Bennett auctore formationes confervarum occurrunt, sicuti illustris de Baerensprung plerumque magna sane copia acaros folliculorum deprehendit. Massa, quae in superficie incisionis invenitur, cum aqua nullam emulsionem, ut carcinomatosa, sed conditionem globulis adiposis similem efficit.

Cadaveris sectio, si complicatio cum carcinomate locum habet, medico gravis videtur, ubi in internis quoque partibus depositio carcinomatosa deprehenditur. Quam quidem epithelioma nullo modo efficit, ideoque laesiones tantum praebet, quae morbis consecutivis concitantur. Quamobrem modo pulmones,

modo cerebrum, jecur, renes aliaque organa inflammata, vel pathologica in iis neoplasmata offendimus.

DIAGNOSIS.

Si disquisitiones microscopico - anatomicae deficiant, rectam epitheliomatis diagnosin instituere perarduum est, cum praesertim nonnulli tumores exorientes vel sede vel consistentia errorum occasionem praebeant, nec minus propterea, quod ulcus posteriore processu saepe cum carcinomate scirrhoso confundi potest.

Epithelioma principio est tumor exiguus, subdurus, in superficie insidens, qui nullo omnino pacto sensibilis est, nisi forte singulares quaedam conditiones eo accedunt. Difficillimum vero est ineuntem ab eo scirrhum cutaneum discernere, quod plerumque aliter fieri nequit, nisi fusa aliqua et copiosa anamnesi, in qua hereditas scirrhosam dispositionem suspicandam praebet; saepenumero etiam multo majoribus difficultatibus dignoscendi ratio implicatur, si istae duae affectiones inter se complicatae exoriuntur. Sunt autem qui carcinomate ceteras omnes dyscrasias excludi statuant; hoc certo exploratum est epithelioma talem vim non habere; qua de causa etiam hujus momenti rationem habendam esse crediderim. Insuper hic facile tum massa exulcerata ipsa de proprietate hujus tumoris nos certiores facit, ubi nulla difficultate genuinam cellulam carcinomatosam a cellula epitheliali et exstincta normalium telarum parte microscopica ratione dijudicare queunt. Accedit quod conditio vicinarum glandularum lymphaticarum egregium dignoscendi momentum praebet, itemque dolores in cachexia carcinomatosa singulari vehementia serius ocius exardescentes.

Characteristicam vero in posteriore stadio ulcus

speciem diruptam et inaequalem, si corpora papillaria hypertrophica libera nudantur, et luxuriantes margines obducunt, praebet. Tum scilicet haud magnum discrimen est a verrucis exulceratis, quae tamen situ vicissim corporum papillarium admodum expresso, firmiter compresso discernuntur. Condylomata acuminata haud facile est cum eo confundere, cum magis in anomalia quadam corii consistant minusque mutationem corporis papillaris gignant. Ab elephantiasi bene hunc morbum dijudicare licet, cum illa ex aliis causis concitetur; accedit, quod sedem suam plerumque in corio habet, paulo post in degenerationem telae cellulosae subcutaneae transit, unde tumor durus cartilagini similis conspicuus fit. Nec vero lupi tubercula alias usquam nisi in superioribus stadiis pro epitheliomate haberi possunt; ut omittamus ea longe diversum morbi decursum habere, tamen jam propria natura superficiei et sedes et secretum ulceris, denique dolores nunquam occurrentes discernendi rationem facilem reddunt.

Haud facile fieri potest, ut haec affectio cum plerisque bonae indolis tumoribus confundatur; dignoscendi enim commodam facultatem nanciscimur partim ex decursu et exitu morbi, partim ex ejus natura et sede. Lipomatis sedes in tela adiposa fixa; lipoma consistentia mollius est, qua ex re lobi ejus dilucidius cognoscuntur; hinc intelligitur quid sit, quod ab epitheliomate semper bene discernatur, cum cutis superinjecta facile huc illuc dimoveri possit et antequam ulceratio incidat nullo modo mutata sit. Tumor fibrosus et ipse sedem suam in telis profundioribus collocavit, nec fere unquam summo in corpore pro epitheliomate habetur, cum tumorem omnino aequabiliter duriorem exhibeat. Quodsi tumor fibrosus in utero nascitur, facile vel propter sedem vel propter duritiem singularem cognosci potest, cum hoc loco per posteriorem decursum alias mutationes excitet. Item tumores cysticos ex eorum

sede et natura molli fluctuantique dijudicari impromptu est. Haud alia ratio hydatidum est, quae maximam partem etiam perspicuae sunt.

Sexus virilis generatim majorem dispositionem prae se fert quam muliebris, hac quoque in re discrimen inter epithelioma et carcinoma videtur statuendum esse, quoniam carcinoma plerumque mulieres affectare solet. Epithelioma vulgo aetate longius provecta ultra trigesimum vitae annum nascitur. Carcinoma alias dyscrasias, veluti tuberculosin et alias excludit, quae res in epitheliomate locum non habere traditur. Saepe mechanicam vim utpote initium processus morbosi afferre promptum est, eamque in epitheliomate maxime causam et conditionem praedicaverunt. Multa istius generis exempla in medium prolata sunt de hominibus, qui cum in fuligine tractanda versarentur epithelioma in manibus, de captivis poenam perpessis, qui in tergo, de viris fumum ex arundine trahere consuetis, qui in labris habuerunt. In postremo stadio periculum aegroto solummodo nascitur ex vehementi secretione et cachexi, quae hinc proficiscitur.

PROGNOSIS.

Epithelioma ineunte mala affectione nec ullo modo malignum nec periculosum est, et prognosin satis faustam prae se fert, nisi cum aliis forte morbis complicetur, inprimis cum carcinomate.

Multo majoris momenti est sedem mali respicere; hoc enim ex loco exitum morbi accuratius impromptu est praesagire.

Epithelioma ubi in facie vel in capite insidet, id quidem haudquaquam malignum symptoma videtur, simulatque morbi processus non nimium longe propa-

gatus est, facile tollitur. Nec majus periculum affert, si in corporis trunco vel extremitatibus oritur. Ut ea de re aliquid etiam accuratius definiatur, universe notandum est, tum vehementius periculum eminere, si epithelioma prope eas partes positum est, in quibus gravissimis functionibus officere potest, veluti in facie in oculis, in extremitatibus in articulis et partibus ossium in superficie collocatis. Cautius prognosin instituí oportet, si labris insidet, ubi saepenumero revertitur; porro in maxillis propter viciniam glandularum majorum; denique in genitalibus propter magnam eorum organorum sensibilitatem.

Postremum epitheliomatis stadium pessimam omnino prognosin exhibet, cum semper magnae destructionis causa sit. Quodsi labris, genae internae, linguae, maxillarum marginibus inhaeret, maxima salivae secretio inde concitatur, quod non solum periculum est, cum etiam huc fluxiones sanguinis, pressio et irritatio accedat, quae illinc nascuntur. Item periculum minatur, ubi in extremitatibus locum defixit, quae plerumque inutiles reddantur et serius ocius intereant. Sin in muliebribus genitalibus insidet, prognosis etiam tum fausta suppetit, si contingit, ut operatione feliciter removeatur; verumtamen si quid in eo loco neglectum est, destructiones et sanguinis fluxiones morbum maxime complicatum efficiunt. In virilibus genitalibus inhaerente malo infausta prognosis est, etenim hic substantia aliena luxurians et destructiva in partes penitus reconditas ingreditur, ibique inflammationes acerrime flagrantes doloresque vehementissimos concitat, praesertim cum eodem syphilis accedit.

Frequentes recidivae prognoseos rationem pravam faciunt, cum defectuum causam praebeant, ex iisque functionum turbae exoriri queant. Si igitur propter destructionis vastitatem nullum amplius operatione auxilium afferri potest, si fortiora reactionis symptomata

simul dignissimis internis organis aegrotantibus exoriuntur, morbus usqne eo crescit, ut sanari nulla ratione possit.

Glandulae una afflictae sane non per se improsperam prognosin efficiunt; sed plerumque sanato ulcere et illa affectio ipsa in meliorem statum redigitur.

Senectus provectior vulgo, ut saepius animadvertitur, malam prognosin praebet. In sexu parum ad prognosin differentiae.

CURA.

In curando epitheliomate auxilium operativum maxime necessarium; quo opera danda est, ut omnes prorsus morbosae tumoris partes removeantur. Si igitur tumor adhuc exiguus est, hoc facile continget, ut adeo inde minus recidivae periculum extimescendum sit. Quo loco diversis methodis uti licet.

Ligatura scilicet non semper se aptam utilemque praestabit, cum praesertim singulis casibus non satis tuto partes male affectas emollitura et remotura sit.

Multo faustioribus auspiciis perfecta partium prave affectarum exstirpatio vel excisio instituitur; cum vulnus sutura cruenta claudatur et in sanationem per primam intentionem tendatur.

Praeterea adhibita est cauterisatio, quae saepenumero in singulos casus sufficit; tamen ne ipsa quidem satis tuta videtur.

Quodsi morbus longius processit, crebro operativum quoque auxilium aliud esse oportebit. Quippe si qua dura pars afflicta est, resectiones veluti in maxilla, amputationes in extremitatibus requiruntur, si praesertim vires aegroti vehementer debilitari et frangi videbuntur, prognosis ad servandas eas partes

dubia est; praeterea etiam, si nimia destructionis extentio impedienda est. Hoc quidem loco interdum in cura consecutiva cauteriorum usus maxime salutarem se praestat, si suspicari licet nonnulla processus morbosi residua fortasse remansisse; eodem modo magnae utilitati fuerit, si ad sanguinis fluxiones sedandas et priore de causa ferro candenti uti possis. In facie, nisi recidiva inciderit, postea plasticae quoque operationes institui poterunt.

Quodsi epithelioma peni inhaeret, in posteriore decursu prava degeneratio nonnunquam penitus progressa est, tumque convenientius amputatio quam exstirpatio oportebit adhibere.

Sin operativa sanatio omnibus morbosis productis removendis fieri non potest, tum non solum operatio recte perpetrari nequit, verum etiam pestifera fiet. Iure hoc loco eam omittere et palliativa tantum cura contentus esse debeas.

Interna cura non opus est, ubi tumor exiguo ambitu coercetur, etiamsi aegrotus longe aetate provectus est. Sin contra evenit, omnes curandi rationes e morbis consecutivis incidentibus pendebunt. Exoriente inflammatione saepe locales et generales sanguinis depletiones, et intus antiphlogistica remedia usurpanda sunt. Viribus debilitatis china et acida praebentur. Doloribus vehementer pungentibus opium, folia et radicem belladonnae, folia et semen hyoscyami, acidum hydrocyanicum dare convenit. Aut tumore cardiae vel utero insidente derivantia adhibentur. Eadem porro interna cura ad praeparandam operationem requiritur.

Cura quidem ex specificis, quae dicuntur, remediis generatim ad impugnandum epithelioma non adhibetur nullis contra istum tumorem specificis cognitis. Tamen hanc curam desiderant complicationes cum dyscrasiis ejusmodi, ut ex hac dyscrasia morbi

origo repetenda sit. Quapropter eadem remedia, quibus in carcinomate uti consueverunt, ibi quoque, ubi hoc cum epitheliomate una apparet, commendata et feliciter adhibita sunt, veluti usus externus et internus praeparatorum arsenici sub forma pulveris Cosmi et unguenti Hellmundi, item cicuta. Si vero syphilis accessit, aegroto intus hydrargyra et decoctum Zittmanni; sin scrophulosis adest totusque aegroti habitus id declarat, oleum jecoris aselli, antimonialia, hydrargyra, sulphuris hepar, jodium aliaque apta remedia praeberi attinet.

HISTORIAE MORBORUM.

Auctoritate et benigna liberalitate viri doctissimi egregioque usu experti Blasius, tum vero ornatissimi de Baerensprung explorationibus pathologico-anatomicis diligenter et prospero successu institutis facultatem mihi exoptatam adeptus sum hunc insignem morbi casum observandi, quem hoc loco accuratius exponere placet, quique eo gravior existimandus est, quod prava affectio ad aurem pertinebat, ubi ceteroquin rarissime tantum in observationem incidit.

Itaque tabulam adjunctam commonstro, quae ejus morbi adumbrationem egregiam exhibet, ad quam doctissimus de Baerensprung et ornatissimus med. cand. Liebreich pro summa humanitate mihi permiserunt, ut descriptiones suas publice ederem.

Christianus E., sexaginta annos natus, firma robustaque corporis constitutione per longam annorum seriem non admodum aegrotaverat. Tumore dexterae auri insidente vexatus atque inductus est, ut nunc medici consilium et opem imploraret; qua de causa in clinico hujus urbis chirurgico-ophthalmiatrico receptus est. Aegrotus quidem nullam aliam

afferre potuit causam, unde hic tumor natus esse videretur, nisi quod undecim prope abhinc annis a familiari quodam ad aurem asperius contrectatus esset; hinc illum tumorem ortum esse. Hic tumor per superiorem marginem helicis retrorsum luxurians, deorsum usque ad anthelicem et ultra ad concham auris pertinet; ab initio verrucae similis mira tarditate creverat et ex pluribus abhinc annis, saepe crusta subfusca, lutulenta obtectus erat, quae crusta semper depulsa et vicissim renata est. Ante quatuor fere hebdomades tumoris superficies ulcerationem contraxit atque inde ab hoc tempore citius tumor incrementum cepit.

DIAGNOSIS.

Hoc extremo tempore tumor maxima celeritate creverat, ut magnitudinem castaneae magnae consequeretur. Tumor petiolo brevi et angusto insidebat, formam brassicae botryitidis eaque de causa indolem speciei condylomatum acuminatorum similem prae se ferebat. In ejus superficie ulceratio apparebat, ex qua malum pus excernebatur, marginibus profuse luxuriantibus; infra cujus superficiem solidius stratum tactu animadvertere licebat. Nonnullae profundiores rimae singulas tumoris partes separare videbantur, et luculente lobulosam ejus naturam prodebant, quae ceterum jam sensu perspecta est. Egregia reliquarum partium et functionum organismi indoles, quum tumor in stadio exulcerato jam pridem constitisset; porro, quod finitimae glandulae lymphaticae processus morbosi nullo modo participes erant, una excepta infra meatum auditorium externum, paululum tumefacta et dolorifica; haec duo degenerationem carcinomatosam exspectare prohibebant, quamquam prava

ulceris natura et dolores extremo tempore nonnunquam vehementer pungentes talem degenerationem haud obscure significare videbantur. Hinc factum est, ut tumor carcinoma cutaneum esse diceretur.

PROGNOSIS.

Ex his, quae modo explanavimus, prognosin plane faustam constitui oportebat; licet recidivam eodem loco, quo saepe in carcinomate cutaneo animadvertitur, incidere posse possibile esset.

CURA.

Tumor per totum ambitum facile exstirpari poterat. Operationem aegrotus commode perpetiebatur ut non admodum doloribus afflictaretur. Iam vulnus collodio oblitum est; cumque nulla reactio chirurgicae operationis violentiam sequeretur, excepta idonea diaeta, quam hoc loco praescribi oportuit, nulla amplius cura videbatur adhibenda esse. Morbum in posterius tempus observari aegrotus non sinebat, cum jam triduo se curae subtraheret, quamquam sanatione nondum perfecta.

ANATOMIA PATHOLOGICA.

Magni in epitheliomate potissimum momenti est, ut subtilior structura elementarium telae anomalae partium cognoscatur, cum nec prava ulceris indoles, nec firmitas tumoris certum ac stabile jam momentum praebeat, ex quo epithelioma a quibusdam carcinomatis generibus dignosci possit.

Hic igitur tumor, quem paulo ante adumbravimus, lobulosam naturam prae se fert, quae majores lobos et lobulos secundi tertiique ordinis in peripheria exhibet. Incisiones, quibus majores lobi inter se distinguuntur, ad basin usque tumoris pertinent. Superficies incisionis structuram areolarem ostendit. Accedit, quod nunc duae variae substantiae, subrubra et albida conspiciuntur. Quarum illa superior e structura loculata constat, nec tamen singulos loculos claudere, nec magis ad peripheriam pertinere videtur. Proficiscitur a corpore papillari, quod petiolatum in inferna cujusque lobi parte initium ducit, et ad peripheriam versus sese effert. Alba autem substantia plerumque peripheriam assequitur, ad eamque consistit; praeterea intervalla rubrae substantiae explet, quae radiatim diffunditur; verumtamen cum istae cavitates non conclusae sint, propterea alba substantia in eis comprehensa in eam albam substantiam, quae peripheriae proxima est, continuo transit ac propagatur.

Substantia alba omnino ex cellulis epithelialibus contento claro aut granuloso nucleo praeditis constat. Istarum cellularum forma aequabilis et polygonalis apparet. Hoc quoque loco singularis quaedam conditio animadvertitur in istis cellulis inter se collocatis, quam jam doctissimus Hannover ad discrimen a formis carcinomatis constituendum idoneam significavit, quod videlicet in massas globosas vel cylindricas, interdum prorsus aequabiliter concentrice accumulatae sunt.

Haec conglomerata cellulas et corpuscula comedonum similia efficiunt, quae jam oculis inermibus animadverti et facile exprimi queunt, cum in superficie incisionis quasi reticulum proprii carcinomatis repraesentent.

Substantia fibrosa, quae se stromati haud dissimilem prodit, ex tela conjunctiva constat, quae permultos

et subtiles vasorum laqueos circumdat, et ad peripheriam versus radiata reticulum interstiale efficit. Papillae difficile tantum cognosci queunt et copulationes telae conjunctivae suppeditant novae luxuriantis, quodam modo ex ipsis evolutae. Magna illa corporis papillaris hypertrophia efficit, ut cellulae epitheliales augeantur, quae orbis instar circum papillas oriuntur; verumtamen papillaria corpora in hoc tumore non in ramos diffunduntur.

Ut igitur ex disquisitione supra exposita perspicere licet, tumor in cute insidebat; raro ultra corium in telam cellulosam subcutaneam, vel in partes profundius sitas propagatur; plerumque initium in epidermide ducit, nec vero praeter normalia telae elementa ulla alia exhibet; postea demum quam longius processit, papillas destruit, atque exinde rete interstiale, cum nova tela conjunctiva perficit.

Quod si quis dubitaverit, an sedes, non bona indoles tumoris posteriora detrimenta, quae ceteroquin in carcinomate exoriantur, prohibeat et excludat, jam disquisitiones ex anatomia pathologica institutae plane sufficiunt ad ejusmodi opiniones refutandas.

Jam vero mihi liceat alterum casum illustrare haud exigui momenti, cujus rationem item ex annalibus clinicis chirurgicis peroptato consecutus sum. Documento nimirum est, quam dyscrasia carcinomatosa et posteriora symptomata carcinomatis cutanei inter se dissimilia sint, quamque raro hoc postremum per se tanquam praevenientem causam letalis exitus considerare attineat; denique quam diversa ex obductionis relatione momenta eliciantur.

Christiana H., LXXIII annos nata, a. d. XVI Cal. Mart. a. h. s. L propter tumorem in dexteri temporis regione ab instituto clinico chirurgico auxilium petivit. Aegrota ante quatuor menses illo loco exiguum tumorem se animadvertisse narravit, qui tamen quibus cau-

sis concitatus esset, dicere nesciit. Itaque medicum consuluit quendam, qui istum tumorem ligatura adhibita removit. Brevi autem tempore recidiva exarsit.

DIAGNOSIS.

Tumor, qui nunc in eodem loco apparebat, admodum creverat, ut luculentum ambitum prae se ferret; praeterea in illo ulceratio consistebat et lata planaque luxuriatio. Secretio ex hoc ulcere profecta largissima erat, itemque universum morbi processum acerrimi dolores locales comitabantur. Diuturnum tempus, per quod ulceris superficies affuerat, quo multi aegrotae succi subtrahebantur, tum mulieris senectus longe provecta et luculentae in vivo organismo conturbationes, quas aliunde repetere non liceret, diagnosin cutanei carcinomatis praestiterunt.

PROGNOSIS.

Ex hisce rebus prognosin improsperam et malam fieri oportuit. Cum longius progressa senectus operationibus se haudquaquam propitiam idoneamque praestet; operationem eo tempore non adhiberi attinebat; sed postea demum quam roborantibus aptisque remediis valetudo in melius cessit, instituenda erit.

CURA.

Brevi tempore aegrota tantum virium recuperaverat, ut operationem ad tumorem exstirpandum pertinentem perferre posset; quae idcirco confecta est. Post exstirpationem os subditum minime degeneratum apparebat. Vulnus deinde collodio oblitum, et apta

diaeta praescripta est. Jam nihilominus inopinate magna reactionis symptomata exarserunt; quo facto interna et proposito accommodata antiphlogistica suppeditari et locales depletiones sanguinis institui oportebat. Nec tamen ullo modo valetudo aegrotae restitui poterat; sed potius paulo post gravissima cerebri affecti symptomata exstiterunt. Denique aegrota a. d. IV Non. Mart. diem suum obiit.

Quae obductione reperta sunt:

Dura mater valde strato exsudati fibrinosi et granulosi investita erat. Incisione facta magna copia aquae exinanita est. Arachnoidea itidem album exsudatum prodebat, quod facile detrahere licebat. Hemisphaeria magni cerebri sanguine abundabant, nec tamen degenerata erant. In ventriculis aliquantum aquae sanguinolentae conspiciebatur. Crura magni cerebri emollita erant, itemque cerebellum; cujus dexterum latus paulo plus sanguinis continebat. Pulmones in partibus dextera antica et sinistra postica paululum accreti erant, quae res ex vetusto exsudato supra pleuram pulmonis expanso originem traxit. In utroque pulmone et dextro et sinistro tubercula apparebant, exsudato albido et fibrinoso circumclusa. Praeterea inferior et sinister lobus sanguineo sero confertus. Cor flaccidum. Dexter jecinoris lobus exiguus, sinister vel maxime evolutus. Ren sinister superne degeneratus repertus est, et hoc loco speciem emollitionis obscuro colore tinctae prae se ferebat.

Hanc igitur obductionis rationem reputantibus nobis dyscrasia carcinomatosa haudquaquam suspicanda videtur, quae, cum malum tam diu certo loco infixum haereret, et partes prave affectae vehementer degeneravissent, facile in suspicionem venire potuit. Verumtamen secundum usum scientiae satis exploratum talem se praestare debuit, ut depositio in alias partes, praesertim in vicinas glandulas lympha-


ticas fieret. Quae cum ita sint, etsi nullae adhuc disquisitiones tumoris anatomico pathalogicae in manibus sunt, nostro tamen jure negare attinet, verum morbum carcinomatosum definitioni pathologorum consentaneum hoc loco ullum affuisse.

TABULAE EXPLICATIO.

Fig. I tumorem in toto ambitu et sede reperta repraesentat.

Fig. II totius tumoris intersectiones exhibet, quomodo accuratiori contemplationi se praebebant.

Fig. III dissectionem lobi unius tumoris duabus partibus auctam praebet.





N. d. N. gez. u. lith. v. R. Liebreich, cand. med.

VITA.

Natus sum Jacobus Antonius Vajen a. d. XIV. Cal. Apriles a. h. s. XXV Rigae, celebri Livlandiae urbe, patre Antonio, matre Carolotta e gente Neumann, quos mihi ereptos esse lugeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis elementis literarum imbutus gymnasium Rigense adii. Mense Aprili a. h. s. XLVI Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Trendelenburg t. t. rectore magnifico in civium numerum Universitatis Fridericianae-Guilelmae receptus apud Beat. Hecker gratiosi medicorum ordinis decanum nomen professus sum. Inde sex annis interjectis almam hanc Universitatem Fridericianam adii, ubi ab Ill. Eiselen t. t. prorectore magnifico in civium academicórum numerum receptus nomen dedi apud Ill. Krukenberg gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum.

Per duodecim semestria hisce interfui scholis:

Berolini audivi: Ill. Trendelenburg de logice, de psychologia, Ill. Kunth de botanice, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Weiss de mineralogia, Ill. Schubarth de physica, Ill. Mitscherlich maj. de chemia anorganica et organica, de pharmacia, Ill. Schultz de historia naturali medicinae, Ill. Sehlemm de osteologia et de arte cadavera rite secandi, Ill. Remak de histologia, Ill. Mueller de anatomia speciali et comparata, de physiologia, Beat. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae, de historia medicinae, Ill. Si-

mon de pathologia et therapia generali, Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali, Ill. Boehm de ophthalmologia, de akiurgia, Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi, Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, Ill. Schoeller de arte obstetricia, Beat. Reinhardt de anatomia pathologica. Scholis interfui clinicis apud Ill. Busch obstetriciis, chirurgicis apud Ill. Juengken et Langenbeck, apud Ill. Romberg medicis; denique interfui practico de forensi medicina apud Ill. Casper.

Halis auscultavi:

Ill. Blasius de akiurgia, de fasciis et de instrumentorum apparatu; interfui autem scholis medicis apud Ill. Krukenberg, apud Ill. Blasius chirurgicis, obstetriciis apud Ill. Hohl.

Quibus omnibus viris de me optime meritis summas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentamine medico, nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Carcinoma arsenici praeparatis non esse curandum.
2. Aperturam foraminis ovalis per se non esse causam cyanoseos.
3. Tracheotomiam in angina membranacea omnino rejiciendam.
4. Gastromalacia non nisi morte efficitur.
5. Cephalotripsiae foetus perforatio praemittenda est.